

2R. 520.1.4

B. M. II, 42

de Blasio fabricio  
typographo Argentorati

II n  
7718

EPISTOLA GRATULATORIA

AD

JUVENEM EXIMIUM,

JOH. CHRISTIANUM

STOESSELIIUM,

AUDITOREM SUUM PROBUM ET INDUSTRIUM,  
CUM D. XIV. APRILIS, ANNO MDC C XVI, CHEMNICI

INTER

PERITOS ARTIS TYPOGRAPHICÆ,

ID QVOD MODESTE

POSTULAVERAT,

SOLENNI RITU,

EX MERITO REFERRETUR,

SCRIPTA

A

M. DANIELE MÜLLERO,

RECT. SCHOL. CHEMNIC.





# Stoesseli Dilectissime,



Uid audio? Siccine hoc sedet animo, literarum studia, quorum ad hoc usque tempus summe studiosus fuisti, penitus delectare? Num placet, transfugam agere, ac Musarum, quas deamasti, castra deserere? Id conicere videtur posse, qui inter peritos Casliterographiae, seu artis libros exscribendi typis, quae *Typographia* vulgato audit nomine, te solenni ritu iam numerari cognoscit. Nemini quidem erat obscurum, te plures horas, quas alii aetatis tuae homines vel otiando, vel ludendo traducunt, nobilissimae huic arti, adjuturus sic, quod piorum liberorum est, Parentem Optimum, dedisse: neque etiam hoc erat incognitum, te alios quosvis artis hujus scientia aequiparare facile posse; verum, quod avidissime simul arripiebas literas, teque iisdem immori velle subinde dicebas, has solas esse scopum, quas intentus tuus arcus peteret, omnes arbitrabamur. Nunc migrasse te priorem mentem, dum aliunde, quam a studiis fructum ac praemia repetis, fere suspicamur. Sed salva res est. *Typographiae* gnarus cognosceris, et avide quoque, quasi diuturnam sitim explere cupiens, imbibere literas pergis. Pergis in patria, quamdiu in ejus haeres amplexibus: perges etiam in alma Philurea, cui juventam tuam formandam poliendamque trades. Neque tamen minus est consultum, *Typographiae* cognitionem, favente huic rei occasione, comparare. Ut enim non necessarium judico, ingenuarum artium studiosos, exemplo *Hippiæ* et *Julii Caesaris Bottisfangæ* (a), omnium opificiorum

---

(a) Vide Morbosii Polybist. Literar. Lib. I. c. I. pag. 2,



rum esse callentissimos, ut aliorum ministeriis ad vitae hujus necessitates non indigeant: ita nemo fortasse improbare posset, si, quibus studia sunt curae, uni vel artificio vel opificio simul horas quasdam, quod et Paulum, gentium Doctorem fecisse constat (b), tribuerent. Sic enim pauperiores et sumptibus studiorum acquirerent, et, donec Spartam nanciscerentur, unde viverent, haberent. Haec utilitas, *mi Stoessele*, ad *Typographicæ artis* cognitionem si te non impulit, movet certe ejus, qua excellit, dignitas et praestantia. Namque olim non rudes omnium literarum homines, ut nunc fere fieri amat, sed doctrinae laude quam maxime florentes artem hanc profesii sunt. Nolo jam *doctorum Typographorum*, quod alios facere memini (c), texere Catalogum; sed unum horum, quem reliqui fere taciti prætereunt, in memoriam eò lubentius tibi reuocabo, quod eandem tecum patriam agnoscit. Est is *Blasius Fabricius*, ex Fratribus *Georgii*, *ornamenti Chemnicii nostri*, natu major, qui cum *Jacobo & Andrea* suo, post patris præmaturum obitum inchoata artium & literarum studia strenue coluit, & quidem, *Georgio* teste (d), *iis in locis, quibus non modo antiqua & salutaris doctrinae præceptis, sed virtutum quoque præstantissimarum exemplis abundavit*. Quantum eruditionis adeptus sit, cum aliunde, tum ex carminibus nonnullis, quæ supersunt (e), animadvertimus. Hic vero doctus tuus con-

terra-

(b) *Æt. XVIII, 3.*

(c) *Vide Johannis de La Caille hystoire de l'Imprimerie et de la librairie*, edit. Parisiis A. 1689. Burcardi Goth. Struvii *Introduct. ad Notitiam rei literar.* c. XI. p. 513. *segg. Dissertationem Epistoliceam Theod. Janssonii ab Almeloveen, de Viis Stephanorum, celeberrimum Typographorum, Collectores Æt. Erudit. A. 1684. p. 202. Morhofii Polyb. Liter. L. IV. c. 2. p. 18. etc.*

(d) *In epistola, qua fratrum trifolio, Blasio, Jacobo et Andreae hymnorum libros dedicavit.*

(e) *Vide lib. 2. Carminum Nuptialium Georgio Fabricio scriptorum pag. 100, seq.*



X 338 0964  
ak  
In  
7718

terraneus postea libros Argentorati, quae urbs de *Typographia* praeclare admodum merita est, excudit, id quod *Esfromus Rudigerus* (f), in epistola, qua *Blasio nostro* Joachimi Camerarii *Ἀρεθμολογίαν ἠθικὴν* dedicavit, hisce significavit verbis: *Te vero flagrantem et ipsum amore earum artium* (liberaliorum nempe, de quibus dixerat) *et nihil remittentem, ut mihi de te persuadeo, vel potius compertum habere videor, de studio harum non quidem ad alienam ab his artem, sed alio tamen modo inservientem culturae et h[abitu] illarum, fortuna vel Deus potius deduxit.* Et paullo post: *Sed et tuis es, ut videaris aliquando tuam officinam propriis elaborationibus instructurus esse.* Hunc tu, *Stoesseli*, antecessorem sequens et literas excolis, et ab arte etiam paternam non alienus es, *ad utrumque paratus* futurus. Et velut *Typographia* prima quasi laurea caput tuum jam ornat: ita plures et praestantiores, quod ominor, dabunt studia, ac, quam veneraberis, *Themis*. Ego interim, sinceri in te amoris specimen editurus, hunc, quem jam consequeris, gratulor honorem, qui certe nihil damni tibi apportabit, si nihil utilitatis afferet. Fortasse vero & usui erit, *Johannes Oporinus*, quamvis Basileæ Professor Græcæ Linguæ esset, tamen sponte relicta Professione ad *Typographiam* animum appellebat, multisque libris, cum à se elaboratis, tum ex *Typographia* sua editis, magnam nominis celebritatem impetrabat (g). Quænam tua futura sint fata, quis est, cui adeo luculenter pateat? Quod si vero ad majus honoris fastigium, ceu spero, futuris temporibus studia te euehent, gratulandi officio, si viam, neque tunc deero. Vale, & quod facis, me ama. Dabam è Museo d. 10. Aprilis, Anno MDCC XVI.

(f) *Esfromus Rudigerus* fuit Rector Scholæ Zvicaviensis, gener Camerarii. Epistola dedicatoria scripta est A. 1549.

(g) Vid. Struvii Introd. ad Notitiam Rei liter. c. XI, p. 566.

261



Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



*B. M. II, 4*  
*Masio fabricio*  
*typographi Argentorati*

GRATULATORIA  
 AD  
 NEM EXIMIUM,  
 CRISTIANUM  
 ESSELIIUM,  
 UMI PROBUM ET INDUSTRIUM,  
 S, ANNO M D C C XVI, CHEMNICU  
 INTER  
 ARTIS TYPOGRAPHICÆ,  
 D QVOD MODESTE  
 ULAV ERAT,  
 SOLENNI RITU,  
 MERITO REFERRETUR,  
 SCRIPTA  
 A  
 ANIELE MÜLLERO,  
 SCHOL. CHEMNIC.